

**LIVY. SELECT  
PASSAGES FROM  
THE FIRST DECADE**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649327065

Livy. Select passages from the first decade by J. H. Merriott

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.  
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

[www.triestepublishing.com](http://www.triestepublishing.com)

**J. H. MERRIOTT**

**LIVY. SELECT  
PASSAGES FROM  
THE FIRST DECADE**



# LIVY.

SELECT PASSAGES FROM THE FIRST DECADE.

WITH NOTES

BY

THE REV. J. H. MERRIOTT, B.A.

ASSISTANT MASTER IN THE MODERN SCHOOL, WELLINGTON COLLEGE.

SEELEY, JACKSON, & HALLIDAY, FLEET STREET,  
LONDON, MDCCLXXII.

~~2362. f. 2.~~

## PREFACE.

---

THE text used in the following selections is that of Bekker. In the notes, the chief difficulties in words, constructions, and antiquities, have been noticed and illustrated. In many cases the explanations are necessarily brief, and may require supplementing on the part of the master. It is hoped at the same time that boys may be induced to work out independently the lines of thought suggested.

Reference has been made to the notes of Raschig and Twiss, the grammars of Key and Madvig, and the histories of Arnold and Mommsen.

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

## LIVY.

---

1. *The trial of Horatius for his sister's murder. He is acquitted on the ground of his service to his country.*

PRIUSQUAM inde digrederentur, roganti Mettius ex foedere icto quid imperaret, imperat Tullus uti iuventutem in armis habeat: usurum se eorum opera, si bellum cum Veientibus foret. ita exercitus inde domos abducti. princeps Horatius ibat, trigemina spolia prae se gerens; cui soror virgo, quae desponsa uni ex Curiatis fuerat, obvia ante portam Capenam fuit; cognitoque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines, et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. movet feroci<sup>1</sup> juveni animum comploratio sororis in victoria sua tantoque gaudio publico. stricto itaque gladio, simul verbis increpans, transfigit puellam. "abi hinc cum immaturo amore ad sponsum" inquit, "oblita fratrum mortuorum vivique, oblita patriae. sic eat quaecunque Romana lugebit hostem." atrox visum id facinus patribus plebique: sed recens<sup>2</sup> meritum facto obstabat. tamen raptus in jus ad regem. rex ne ipse tam tristis ingratiq; ad vulgus iudicii aut secundum iudicium supplicii auctor esset, concilio populi advocato "duumviros"<sup>3</sup> inquit "qui Horatio perduellionem iudicent, secundum legem facio." lex horrendi carminis<sup>4</sup> erat. "duumviri



perduellionem judicent. si a duumviris provocari,<sup>6</sup> provocatione certato, si vincent, caput obnubito; infelici arbori<sup>6</sup> teste suspendito; verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium." hac<sup>7</sup> lege duumviri creati, qui se absolvere non rebantur ea lege, ne innoxium quidem, posse, cum conderunt, tum alter ex his "P. Horati, tibi perduellionem judico" inquit. "i, lictor, colliga manus." accesserat lictor, injiciebatque laqueum. tum Horatius auctore<sup>8</sup> Tullio, clemente legis interprete, "provoco" inquit. ita [de] provocatione certatum ad populum est. moti homines sunt in eo judicio maxime P. Horatio patre proclamante se filium jure caesam judicare: ni ita esset, patrio jure in filium<sup>10</sup> animadversurum fuisse. orabat deinde ne se, quem paullo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbem liberis faceret. inter haec senex juvenem amplexus, spolia Curiatorum fixa eo loco qui nunc Pila<sup>11</sup> Horatiae appellatur ostentans,<sup>12</sup> "huncine" aiebat, "quem modo decoratum ovantemque<sup>13</sup> victoria incedentem vidistis, Quirites, cum sub furva vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. i, lictor, colliga manus, quae paullo ante armatae imperium populo Romano pepererunt. i, caput obnubite liberatoris urbis huius; arbori infelici suspende; verbera vel intra pomoerium,<sup>14</sup> modo inter illa pila et spolia hostium, vel extra pomoerium, modo inter sepulera Curiatorum, quo enim ducere hunc juvenem potestis, ubi non sua decora cum a tanta foeditate supplicii vindicent?" non tulit populus nec patris lacrimas nec ipsius parem in omni periculo animum; absolveruntque admiratione magis virtutis quam jure causae. itaque ut caedes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum<sup>15</sup> patri ut filium expiaret pecunia publica. is quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quae deinde genti Horatiae tradita sunt, transmissio per viam tigillo, capite adoperto velut sub jugum misit juvenem. id hodie quoque publice semper reffectum manet: sororium tigillum vocant. Horatiae sepulcrum, quo loco corruerat icta, constructum ex saxo quadrato.

II. *Alba is destroyed, and its inhabitants are transferred to Rome.*

Inter haec jam<sup>1</sup> praemissi Albam erant equites, qui multitudinem traducerent Romam. legiones deinde ductae ad diruendam urbem. quae ubi intravere portas, non quidem fuit tumultus<sup>2</sup> ille nec pavor qualis captarum esse urbium solet, cum effractis portis stratisve ariete<sup>3</sup> muris, aut arce vi capta, clamor hostilis et cursus per urbem armatorum omnia ferro flammaque miscet: sed silentium triste ac tacita maestitia ita defixit<sup>4</sup> omnium animos, ut prae metu obliti quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantesque alii alios, nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas, ultimum<sup>5</sup> illud visuri, pervagarentur. ut vero jam equitum clamor exire jubentium instabat, jam fragor tectorum quae diruebantur ultimis urbis partibus audiebatur, pulvisque ex distantibus locis ortus velut nube inducta omnia impleverat, raptim<sup>6</sup> quibus quisque poterat elatis, cum larem ac penates tectaque in quibus natus quisque educatusque esset relinquentes exirent, jam continens agmen migrantium impleverat vias, et conspectus aliorum mutua miseratione integrabat lacrimas. vocesque etiam miserabiles exaudiebantur,<sup>7</sup> mulierum praecipue, cum obsessa ab armatis templa augusta praeterirent ac velut captos relinquerent deos. egressis<sup>8</sup> urbem Albanis, Romanus passim publica privataque omnia tecta adaequat solo, unaque hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba steterat, excidio ac ruinis dedit. templis<sup>9</sup> tamen deum (ita enim edictum ab rege fuerat) temperatum<sup>10</sup> est.

III. *Tarquinius sends his sons to inquire of the Delphic Oracle. They are outwitted by Brutus.*

Intentus perficiendo templo, fabris undique ex Etruria accitis, non pecunia solum ad id publica est usus, sed operis etiam ex plebe. qui cum haud parvus et ipse militiae adderetur labor, minus tamen plebs gravabatur se templa deum exaedificare manibus suis, quam postquam et ad

alia, ut specie minora, sic laboris aliquanto majoris traducebatur opera, foros in circo faciendos, cloacamque maximam, receptaculum omnium purgamentorum urbis, sub terram agendam; quibus duobus operibus vix nova haec magnificentia quicquam adaequare potuit. his laboribus exercita plebe, quia et urbi multitudinem, ubi usus non esset, oneri rebatur esse, et colonis mittendis occupari latius imperii fines volebat, Signiam Circeiosque colonos misit, praesidia urbi futura terra marique.

Haec<sup>1</sup> agenti portentum terribile visum, anguis ex columna lignea elapsus<sup>2</sup> cum terrorem fugamque in regiam fecisset, ipsius regis non tam subito pavore perculit pectus quam anxiiis implevit curis. itaque cum ad publica prodigia Etrusci tantum vates adhiberentur, hoc<sup>3</sup> velut domestico exterritus visu Delphos ad maxime inclitum\* in terris oraculum mittere statuit, neque responsa<sup>4</sup> sortium ulli alii committere ausus, duos filios per ignotas ea tempestate terras, ignotiora maria in Graeciam misit. Titus et Aruns profecti. comes his additus L. Junius Brutus,<sup>5</sup> Tarquinia sorore regis natus, juvenis longe<sup>6</sup> alius ingenio quam cujus simulationem induerat. is cum primores civitatis, in quibus fratrem suum ab avunculo interfectum audisset, neque in animo suo quicquam regi timendum neque in fortuna concupiscendum relinquere statuit, contemptuque tutus esse, ubi in jure parum praesidii esset. ergo ex<sup>7</sup> industria factus ad imitationem stultitiae, cum se suaque praedae esse regi sineret, Bruti quoque haud abnuit cognomen, ut sub ejus obtentu cognominis liberator ille populi Romani animus latens oppeteretur tempora sua. is tum ab Tarquinii ductus Delphos, ludibrium verius quam comes, aureum baculum inclusum corneo<sup>8</sup> cavato ad id baculo tulisse donum Apollini dicitur, per ambages<sup>9</sup> effigiem ingeni sui. quo postquam ventum est, perfectis patris mandatis cupido incessit animos juvenum sciscitandi ad quem eorum regnum Romanum esset venturum. ex infimo specu vocem redditam ferunt "imperium summum Romae habebit, qui vestrum primus, o juvenes osculum matri tulerit." Tarquinii, ut Sextus, qui Romae relictus fuerat, ignarus

\* inclitum.